

## AXIOMATA.

Non male cecinit Catullus:

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benignum est.  
CATULLUS.

Quod facis ingrato, certo perit undique  
facto. BUCHLER.

Acerbum est, pro benefactis malorum  
messem metere. *Florileg.* p. I.

## AUCTORES.

Joannes Buseus, in *Panario*, v. eodem.  
Josephus Langius, in *Polyanth.* v. eodem.  
Thomas Stapletonus, in *Promptuario*,  
text. v, in *Dom.* 43 post *Pent.* et text. v,  
in *Dom. Palm.*

Laurentius Beirlinck, in *Festo S. Mathie*  
*Apostoli*, text. III.

Mathias Faber, conc. I, in *Dom.* 13, post  
*Pent.*

Josephus Mansi, in *Bibl. moral.* tr. XXX,  
disc. XIX et seq.

## INTENTIO BONA.

## QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est actus voluntatis, quo  
actiones hominis ad finem aliquem super-  
naturalem diriguntur. Ipsa virtutum om-  
nium finis, initium, decus, et ornamentum  
est. De qua locutus est Sponsus dicens:  
Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa,  
vulnerasti cor meum in uno oculorum tuo-  
rum (id est, ut Honorius explicat, in una  
intentione, quando unam tantum rem petit  
anima a Domino, ut inhabitet in domo Do-  
mini omnibus diebus vite sue) et in uno  
erine colli tui, (hoc est, in una cogitatione  
intellectus, qua intelligit Deum esse sum-  
mum bonum.)

DIVISIO. — Triplex potissimum est inten-  
tio bona. 1. Qua quis bonum operatur  
penæ æternæ formidine. 2. Qua quis spe  
præmii æterni bene agit. 3. Qua quis Deo  
propter suam bonitatem servit, seu puram  
Dei gloriam querit. De quibus sic S. Doro-  
theus loquitur: Tres sunt conditiones et  
status, ut D. Basilius ait, quibus grati esse

possumus. Si enim penam formidamus, in  
servili statu sumus. Si vero mercedis luera  
consectantes, utilitatis et proprii commodi  
gratia, divina mandata peragimus, merce-  
nariis assimilamur. Sin autem bono et ho-  
nesto propter seipsum adhaeremus, in  
filiorum genere sumus. Filius enim ubi ad  
prudentiali discretionemque pervenerit, pa-  
terna vota exequitur, non timore plagarum,  
non etiam mercedis et præmii cupiditate,  
sed amore, pietate, observantiaque erga  
patrem; persuasus enim satis est, suum  
fore, quiddam patris est. Subdividitur au-  
tem quævis ex istis intentionibus in *virtua-*  
*lem*, et *actualem*; hæc est, quæ ex se refert  
opus ad finem; illa est, quæ in virtute præ-  
cedentis actus aliquid opus ad finem ordi-  
nat.

ACTUS INTENTIONIS OPTIME. — Primus  
est: *In omnibus rebus unicum Dei honorem*  
*querere*, ad exemplum Estheris de se ipsa  
fatentis: Tu seis, Domine, quod nunquam  
lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata  
sum, usque in præsentem diem, nisi in te,  
Domine. ESTH. xiv, 18. Nam, ut recte S. Au-  
gustinus dixit, minus te amat, Domine, qui  
tecum aliquid amat, quod propter te non  
amat.

Secundus est, *Seipsum oblivisci, et in sola*  
*Dei voluntate acquiescere*, ad exemplum Da-  
vidis dicentis: Confitemini Domino, quo-  
niam bonus. PS. cxxix, 1. Et hoc est, quod  
ipse Salvator suavit, dum dixit: Nesciat  
sinistra tua, quid faciat dextra tua. MATH. vi, 4. Nam, ut sapienter S. Chrysostomus  
advertit, nihil æquæ inania reddit bene-  
ficia, disperditque, quam eorum, quæ nos  
recte fecimus, memoria; duo enim par-  
rit mala, negligentiores facit, et in arro-  
gantiam tollit. *Hom.* xii, in *ep. ad Philip.*

Tertius est: *Servire Deo, non solum ut id*  
*ipsi placeat* (hoc enim nescio quid humani  
etiæm retinet, teste Drexelio) *sed quia*  
*sibi sic serviendi placet Deus*, seu, quia tam  
bonus est Deus, ut nostrum obsequium  
dignetur approbare, eoque se capi ac delec-  
tari ostendat. L. I, de *Rect.* Int. c. vii, § 3.  
De quo gradu S. Bernardus sic exclamatur:  
O amor sanctus et castus! O dulcis et suavis  
affectio! O pura et defæcata intentio volun-  
tatis! eo certe defæcator et purior, quo in  
ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur;  
eo suavior et dulcior, quo totum divi-  
num est id, quod sentitur. Sic affici, deifi-  
cari est. *De Dil. Deo.*

## EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Pone me ut signaculum  
super cor tuum, ut signaculum super bra-  
chium tuum. CANT. viii, 6.

Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud  
quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.  
I Cor. x, 31.

Querite Dominum, et confirmamini;  
querite faciem ejus semper. PS. civ, 4.

Sapientis oculi in capite ejus. Stultus in  
tenebris ambulat. ECCL. ii, 14.  
Cor mundum crea in me Deus, et spiri-  
tum rectum innova in visceribus meis.  
PS. l, 12.

Omne, quodcumque facitis in verbo aut  
in opere, omnia in nomine Domini nostri  
Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et  
Patri per ipsum. COLoss. iii, 27.

Servi, obedite dominis carnalibus cum  
timore et tremore, in simplicitate cordis  
vestri, sicut Christo, non ad oculum ser-  
vientes, quasi hominibus placentes, sed ut  
servi Christi, facientes voluntatem Dei ex  
animo. EPH. vi, 5.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies  
mea; faciem tuam, Domine, requiram.  
PSAL. xxvi, 8.

Anima mea illi vivet, et semen meum  
serviet illi. PS. xxi, 31.

Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor  
nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.  
PS. xliii, 8.

Omni æstimatio siclo Sanctuari (id est,  
gloriæ divinæ) ponderabitur. LEV. xxvii, 25.

Te autem faciente elemosynam, nesciat  
sinistra tua, quid faciat dextra tua, ut sit  
elemosyna tua in abscondito. MATH. vi, 3.

Ecce enim in celo testis meus, et con-  
scius meus in excelsis. JOB. xvi, 20.

Noli timere, Abraham, ego protector tuus  
sum, et merces tua magna nimis. GEN. xv, 1.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in  
terra, ubi erugo et tinea demolitur, et ubi  
fures effodiunt, et furantur. Thesaurizzate  
autem vobis thesauros in celo, ubi neque  
tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt,  
nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus,  
ibi est cor tuum. MATH. vi, 19.

NECESSITAS. — Læerna corporis tui est  
oculus tuus; si oculus tuus fuerit simplex,  
totum corpus tuum lucidum erit; si autem

oculus tuus fuerit nequam, totum corpus  
tuum tenebrosum erit. MATH. iv, 22.

Gloriam meam alteri non dabo. IS. xlii, 8.

Universa propter semptimum operatus  
est Dominus. PROV. xvi, 4.

Si quis non quaesierit Dominum Deum  
Israel, moriatur, a minimo usque ad maxi-  
mum, a viro usque ad mulierem. II PAR.  
xv, 13.

Vae duplici corde, et labiis scelestis! (Id  
est, qui labiis honorant Deum, cor autem  
eorum longe est ab eo.) ECCL. ii, 14.

UTILITAS. — Vulnerasti cor meum, Soror  
mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno  
oculorum tuorum. Scilicet bonæ intentionis,  
quem solum, ut sagittarii sagittas ad scop-  
pum jacentes apertum habuisti. CANT. iv, 9.

Cum quaesieris Dominum Deum tuum,  
invenies eum, si tamen toto corde quaesie-  
ris. DEUT. iv, 29.

Manus Dei nostri est super omnes, qui  
querunt eum in bonitate. I ESDRÆ. vii, 29.

Querite Deum, et vivet anima vestra.  
PS. lxxviii, 33.

Honora Dominum de tua substantia, et  
de primitiis omnium frugum tuarum, et  
implebuntur horrea tua saturitate, et vino  
torcularia tua redundabunt. PROV. iii, 9.

Et non reliquit me solum, quia quæ pla-  
cita sunt ei, facio semper. JOAN. viii, 29.

Si radix sanæta, et rami. ROM. xi, 17.

DIGNITAS. — Nihilque erat in templo, quod  
non auro tegetetur. (Id est, nihil in anima  
justi atque perfecti hominis, quod non auro  
perfectissimæ charitatis fuerit exornatum.)  
III REG. vii, 22.

Justi autem in perpetuum vivent, apud  
Dominum est merces illorum, et cogitatio  
eorum apud Altissimum. SAP. v, 16.

Omnis gloria ejus Filiæ Regis ab intus.  
PS. xlii, 15.

JUCUNDITAS. — Meus cibus est, ut faciam  
voluntatem ejus, qui misit me, et perficiam  
opus ejus. JOAN. iv, 34.

Et in terra pax hominibus bonæ volunta-  
tis. S. LUC. ii, 14.

Utinam attendisses mandata mea, facta  
fuisset sicut lumen pax tua, et justitia tua  
sicut gurgites maris. IS. xlvi, 18.

MALA INTENTIO. — Abominatio Domini  
est omnis illusor, et cum simplicibus ser-  
mocinatio illius. PROV. iii, 32.

Non bonam rem facis. Stulto labore con-  
sumeris. EXOD. xviii, 18.

In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam

omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel. I REG. XI, 17.

Gladius super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus: brachium ejus ariditate sicabitur, et oculus dexter ejus tenebreus obscurabitur. ZACH. XI, 18.

## EX SS. PATRIBUS.

QUADITAS. — Tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cum eum propter amoris fiduciam non timemus: cum nos ad bona opera non metus dirigit, cum malum menti nostræ non placet. S. GREG. in *Moral.*

Oblata Deo non pretio, sed affectu pensantur. SALVIANUS, ad *Ecl. Cath.*

Si gratiam ideo tibi dedit Deus, quia dedit gratis, gratis ama: noli ad præmium diligere Deum; ipse sit præmium tuum. S. AUG. super *Joan.*

Nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspirat singulorum. S. HIER. ep. XIV, ad *Celant.*

Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat. S. AUG. in *Ps.* XIII.

Quare voluntarie? Quia gratis amo, quod laudo. Laudo Deum, et in ipsa laude gaudeo; ipsius laude gaudeo, quo laudato non erubescio. Gratuitum sit, et quod amatur, et quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, et non propter aliud. Quod præmium a Deo accepturus es, o avaro? Non tibi terram, sed seipsum servat, qui fecit cælum et terram. S. AUG. t. VIII, in *Ps.* LI.

Opera probant, quæ cernunt; sed, unde prodeant, non discernunt. S. BERN. tr. de *Humil.* v.

Quid per oculum exprimitur, nisi opus suum præveniens cordis intentio, quæ priusquam se in actione exerceat, hoc jam, quod appetit, contempletur? Et quid appellatione corporis designatur, nisi unaquæque actio, quæ intentionem suam quasi intuentem oculum sequitur? Lucerna itaque corporis est oculus, quia per bonæ intentionis radium, merita illustrantur actionis. S. GREG. I. XXVIII *Mor.* c. VI.

Deus cor, et non substantiam pensat; nec cogitat quantum, sed ex quanto quis operetur. Idem.

Fundamentum aliud nemo potest ponere,

præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus; tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostræ in Christo roborantur. S. GREG. in c. XXXVIII *Job.*

Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut et de bono opere proximis nostris præbeamus exemplum; et tamen per intentionem, quæ soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum. Idem, hom. XII, in *Evang.*

Holocausta medullata offeram tibi. Quid est medullata? Intus teneam charitatem tuam; non erit in superficie; in medullis meis erit, quod diligo te. Nihil enim interiorius medullis nostris. Quisquis ergo in superficie colit Deum, magis placere vult hominibus, quam Deo. S. AUG. in *Ps.* LXV, 15.

Quomodo perfecte diligis, aut diligeris, si in summorum desiderio ad superna non raperis? Collige teipsam ad temetipsam, et in solo Divinitatis desiderio requiesce. S. BERN. de *Dom. Inter.* c. LIX.

Prima vox, prima cogitatio, primus affectus divinam resonet laudem, ignitam ad Deum dirigit supplicationem. S. LAUR. JUST. de *Disc. Mon.* c. X.

Quoniam Scriptura loquitur, Deum omnia fecisse propter semetipsum, erit profecto, ut factura se quandoque conformet et concordet Auctori. Oportet proinde in eundem nos affectum quandoque transire, ut, quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec nos ipsos, nec aliud quid fecisse vel esse velimus, nisi æque propter ipsum, ob solum videlicet ejus voluntatem, non nostram voluptatem. S. BERN. in tr. de *Dil. Deo*, coll. x et XI.

Conveniat unusquisque cor suum, et in omni vita inveniet, quam rarum sit, fidellem animam inveniri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. Neque enim statim, qui jejunit, Deo jejunit, aut extendens pauperi manum, Deo fœnerat. Vicinia sunt vitia virtutibus; difficile est, Deo Judice, esse contentum. S. HIER. in ep. ad *Lucif.*

Vigilanti cura per cuncta opera intentio nostra pensanda est, ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat, totam se in soliditate æternitatis ligat. S. GREG. I. XXVIII *Mor.* c. VI.

Pura erit intentio, si in omni actione nostra, aut honorem Dei, aut dedicationem proximis, aut bonam conscientiam quaeramus. Duo quidem in intentione necessaria

requirantur, res et causa, id est, quid intendas, et propter quid. Ex his sane duobus anime vel deus, vel deformitas indicatur. S. BERN. c. XXVII.

Omne, quod datur Deo, ex dantis mente pensatur, unde scriptum est: « Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus; » neque enim sacrum eloquium dicit: Respexit, ad munera Abel, ad Cain autem non respexit, sed prius ait, quia respexit ad Abel, et deinde ait, ad munera ejus. S. GREG. I. XXI *Mor.* c. VIII.

Cor et non substantiam pensat, nec perpendit quantum ejus Sacrificium, sed ex quanto proferatur. Idem, hom. v, in *Evang.*

Operationes bonæ commendantur affectu, neque enim minus beatus Elias, quam, Moyses, cum alter cibi indigus, melota vili, sine filijs, sine sumptu, sine comite; alter populi dux, lætus sobole, succintus potentia, diverso genere meritum æquale fundarunt, quando cum Domino in transfigurationis gloria refulerunt. S. AMBR. I. I, de *Jacob. et Vit. beat.* c. VIII.

Hæc est locutio metaphorica, quia corpus hic accipitur pro congerie operationum, sicut corpus materiale est quædam aggregatio membrorum diversorum, et ideo sicut oculus dirigit membra ad operandum, ut pedem ad ambulandum, manum ad scribendum; sic intentio recta, prout includit fidem et charitatem, dirigit varias operationes in finem debitum, ideo subditur: Si oculus tuus simplex fuerit, id est, intentio tua recta, sine plica falsæ simulationis, totum corpus tuum, id est, congeries operationum tuarum lucidum erit, id est, meritum tuarum vitæ æternæ. LYRANUS, in *Luc.* XI, 14.

Rarus profecto reperitur, qui solo testimonio contentus sit divino. Hoc probatissimum virorum est proprium, qui in luce veritatis introrsus gradientes, Deo placere tantum concupiscunt. Talis Apostolus erat, cujus jam conversatio in coelis habebatur; ideo dicebat: « Mihi pro minimo est, ut a vobis iudicer, seu ab humano die. » Et alibi: « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ. » S. LAUR. JUST. de *Compl. Chr. perf.* col. XII.

Humane aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant; divina vero iudicia foris auduntur, qualia ex intimis profertur. S. GREG. I. XXIII *Moral.*

Sicut fabrica columnis, columna autem basibus innititur; ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt. Idem.

Valde laboriosum est custodire, ne mala homo facere audeat, ne in bonis actibus per intentionem titubet, et inter recta opera sinistra cogitatio illudat. Idem, I. I. *Moral.*

Causa actum poterit decorare, si aut necessitate subsistat, aut utilitate vigeat, aut honestate splendescat, aut cum effectu mentis tota valeat substantia operis tolerari; opus non ex se, sed ex causa, fit crimen, nec aliqua virtutis ostentatione clarescit, cui voluptas originem præbet. S. CHRYS. in tractatu de *Symb.*

ÆQUITAS. — Quomodo non est hoc extreme stultitiæ, hominum mente corruptorum gloriam querere, cum oporteat ad oculum Dei, qui semper est insomnis, confugere, et ad illius sententiam omnia dicere et facere? Nam isti quidem, etiamsi laudaverint, nihil nos jurare poterunt. Ille autem, si ea quæ fiunt, fuerint ei accepta, et hic red- det claros et illustres, et in die futuro impertietur bonis ineffabilibus. S. CHRYS. hom. XII, in I, ad *Corinth.*

NECESSITAS. — Necessaria est charitas in intentione; cuius ratio est, quia charitas intentione ad omnia illa, quæ ad finem sunt, principaliter intenta dirigit, et extendit, et per hoc æquius unit, cum in omnibus unum intendit, et ad unum tendit et omnia, quantum potest, cum illo unire querit. S. BERN. I. de *Præc.*

Quod bona intentione non facis, non tibi proderit; quia quomodo feceris, non quomodo illi evenerit, tibi imputabitur. S. AUG. super *Matth.* VI.

Si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis mediæ et terminus ab hoste secure possidetur, quoniam totam arborem sibi ferre fructus conspiciat, quam veneni dente in radice vitaviat. Summa cura vigilandum est, ne vel operibus bonis serviens mens reproba intentione polluat. S. GREG. in *Moral.*

Ut interior oculus vere simplex sit, duo illi arbitrator esse necessaria. charitatem in intentione, et veritatem in electione. Sic oculus nequam duo e regione mala constitunt, cæcitas, quæ fit, ut veritatem non cognoscat; et perversitas, quæ fit, ut diligat iniquitatem. S. BERN. de *Consid.*

Quod est corpus sine vita, hoc est opus

sine intentione bona. RICH. *de Statu int. hom.* c. vii.

In cunctis operibus quicumque animi salutem exoptat, intentionis suae componat obtutum, et ad illum, quem divina lex mandat, dirigat finem, ut non casso labore desudet. S. LAUR. JUST. *de Regim. Præf.* c. xxii.

Magni interest, cum aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione facimus; officium quippe nostrum non initio, sed fine pensandum est, ut scilicet non tantum si bonum est, sed præcipue si bonum est, propter quod facimus, cogitemus. S. AUG. conc. xii, in *Ps.* cxviii.

Non bene succedit, quicquid agit passim, et sanctum non est, quod agit sanctum, nisi sancte, quod sanctum, est peragatur. ORIGEN. *de Sing. Cler.*

UTILITAS. — Ne putemus, nos præmio carituros, si pro præmio non laboremus; imo ob hoc ipsum præmium erit majus. S. CHRYS. hom. v, in ep. *ad Rom.*

Tunc Dei dilectio perfecta, qua prior ipse nos dilexit, in nostri quoque cordis transierit affectum, cum omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne, quod videmus, quod loquimur, quod speramus, Deus est. ISAAC. AR. *apud Cos.* coll. x, c. vii.

Hæc debet esse omnis intentio nostra, ut imaginem future beatitudinis in hoc corpore possidere mereamur, et quodammodo artham celestis illius conversationis et gloria incipiamus in hac vita prægustare. Hic, inquam, finis totius perfectionis est, ut eo usque extenuata mens ab omni situ carnali, ad spiritualia quodammodo sublimetur, donec omnis ejus conversatio, omnis voluntatio cordis, una et jugis efficiatur oratio. S. CHRYS.

Omnia vilia cum charitate facta, fiunt aurea atque divina. S. ANSEL. in c. xii, ep. i, *ad Cor.*

Vox hujus cantoris fervor est sancti amoris. Amemus, gratis amemus; Dominum enim amamus, quo nihil melius invenimus. Ipsum amemus propter ipsum, et nos in ipso, tam propter ipsum. S. AUG. s. cclvii, *de Temp.*

Nec illud, quod tibi pro magno præstat Deus, præponas illi, qui præstitit; quod enim dulcius a Deo præmium, quam ipse Deus? S. ANSEL. s. xxxii, *de Temp.* c. iv.

Totum meritum est in voluntate, quantumvis tantum mereris; fac ergo magnam voluntatem, si vis habere magnam me-

ritum. S. BERN. *de Inter Dom.* c. viii.

Uberior est nummus e parvo, quam thesaurus e maximo, quia non quantum delur, sed quantum resideat, expenditur; non ergo quid fastidio expuas, sed quantum devotione conferas, aestimandum est. S. AMBR. l. *de Viduis, ante med.*

Major tibi merces, si citra mercedis spem feceris. S. CHRYS. hom. v, in ep. *ad Rom.*

Magna res amor, sed sunt in eo gradus. Sponsa in summo stat. Amant enim et filii, sed de hereditate cogitant; quam dum veniuntur quoquo modo amittere, ipsum, a quo expectatur hereditas, plus reverentur, minus amant. Suspectus est mihi amor, cui aliquid adipiscendi spes suffragari videtur. Infirmitas est is, qui forte subtrahat spe, aut extinguitur, aut minuitur. Impurus est, qui et aliud cupit; scilicet secundo remunerationem; purus amor, mercenarius non est. Purus amor, de spe vires non sumit, nec tamen diffidentia damna sentit. Sponsæ hic est, quia hoc sponsa est, quæcumque est. Sponsæ res, et spes, unus est amor. Hoc sponsa abundat, hoc contentus est sponsus. Nec is aliud querit, nec illa aliud habet. S. BERN. s. lxxxiii, in *Cont.*

DIGNITAS. — Nihil erat in templo, quod non esset ex auro purissimo confectum, vel saltem deauratum, atque ita in templo vivo animæ nostræ nihil debet esse, quod non sit charitas, vel ornatum cum charitate; quapropter non tantum oculos debes conjicere in id, quod facis, sed in id, quod intendis; nam vilia et minima opera, dum divino spiritu fiant, et intentione recta, maximi sunt valoris, et e contra maxima et heroica opera, si debita intentione, et recto fine careant, nullius sunt valoris et ponderis. DR. STREL. in c. xi *Luc.*

Si omnino dignus fueris, agere aliquid, quod Deo placeat, et aliam adhuc, præter hoc ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris, vere ignoras, quantum bonum sit placere Deo. Si enim scires, nunquam aliquid aliud extrinsecus mercedis, aut numeris expecteres. S. CHRYS. l. *de Compunct.*

Dominus et illum, qui de quinque talentis decem fecerat, et qui de duobus quatuor, simili recepit gaudium, non considerans lucræ quantitatem, sed studii voluntatem. S. HIER. in *Matth.* c. xxv.

MALA INTENTIO. — Cum perversa intentione vel rectum quid agit, etsi splendere

coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni Judicis obscuratur. S. GREG. l. xxviii *Mor.* c. vi.

Væ portantibus crucem, non sicut Saluator suam, sed sicut ille Cyrenæus alienam! Duplici quippe contritione conteruntur, qui hujusmodi sunt, quando et licet pro temporali gloria temporaliter se affligunt, et in futuro pro interna superbia ad supplicia æterna pertrahuntur. Laborant cum Christo, sed non regnant cum Christo. De torrente bibunt in via, sed non exaltant caput in Patria; lugent nunc, sed tunc non consolabuntur. S. BERN. in *Apol. ad Gubelm.* Abb.

Cum bonum opus non bona intentione sumitur, huic adversantes Spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur, tantoque eam plenius possident, quanto et per initium dominantes tenent. S. GREG. l. i *Mor.* c. xix.

#### EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS. — Fili, ego debeo esse supremus finis tuus, et ultimatus, si vere desideras esse beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, sæpius ad seipsum, et ad creaturas male incurvatus. Lib. III, c. ix, § 1.

Non te conturbent alienæ phantasia, de quacumque materia ingestæ. Forte serva propositum, et intentionem rectam ad Deum. Lib. III, c. vi, § 3.

Fili, oportet te adhuc multa addiscere, quæ necdum bene didicisti. Ut desiderium tuum ponas totaliter secundum beneplacitum meum, et tui ipsius amator non sis, sed mee voluntatis cupidus emulatur. Lib. III, c. ii, § 1.

Duabus alis homo sublevatur a terrenis, simplicitate sciencæ, et puritate. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit et gustat. Lib. II, c. iv, § 1.

UTILITAS. — Si Deus semper esset pura intentio nostri desiderii, non tam faciliter turbaremur pro residentia sensus nostri. Lib. I, c. xiv, § 1.

Si nihil aliud, quam Dei beneplacitum et proximi utilitatem intendis, et quæris, interna libertate perferis. Lib. II, c. iv, § 1.

Quanto purior fuerit intentionis oculus, tanto constantius inter diversas itur procellas. Lib. III, c. xxxiii, § 2.

NECESSITAS. — Qui aliud querunt, quam

pure Deum, et animæ suæ salutem, non inveniunt nisi tribulationem et dolorem. Lib. I, c. xvii, § 2.

Desideria te sæpe accendunt, et vehementer impellunt; sed considera, an propter tuum commodum, an vero propter honorem meum magis movearis. Siego sum in causa, bene contentus eris, quomodo cumque ordinarero. Si autem de proprio quæsit aliud latet, ecce hoc est, quod te impedit et gravat. Lib. III, c. xi, § 1.

#### EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Christus Dominus de seipso dixit: Ego non quero gloriam meam. Et iterum: Et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper. JOAN. viii, 50 et 19. Hinc et S. Gertrudem monuit, ut sua omnia opera minutatim offerret, usque ad characteres, quos lectura aut scriptura, et holos, quos sumptura, et anhelitus, quos vigilans vel dormiens ductura esset. BLOSSIUS. *Inst. spir.* xix.

Esther dicebat: Domine, tu scis, quod nunquam letata sit ancilla tua, ex quo hæc translata sum usque in presentem diem, nisi in te, Domine. ESTH. c. xiv, 18.

D. Thomas Aquinas post mortem apparuit pulcherrima stella in pectore conspicuus, qua condecoratus est propter purissimam intentionem, quam omnibus suis operibus præfixit; unde interrogatus a Christo, quam mercedem peteret pro tam fideli servitio et labore? Non aliam, respondit, nisi te, Domine. *Vita, 7 Mart. apud Sw.*

S. Honoratus, Abbas Lyriensis, tanto studio Dei amore, obsequium, gloriamque sectabatur, ut non solum interdiu, sed noctu quoque omnes cogitationes illius eo spectarent; inter dormiendum enim de Deo diligendo breves calidosque sermones habuit. Sed et somnia de Dei dumtaxat amore, de virtute, de pietate erant. PAULUS BARRY, in *Vita Sancti.* 16 Jun.

Fuit e prisca Asceta unus aliquis, qui, quotiescumque operis aliquid erat aggressurus, subsistebat aliquantisper cogitanti similis. Interrogatus quid hoc ageret? Opera nostra, respondit, ex se nulla sunt, velut informis trabs, nisi recto fine sinceræque intentione velentur ac vestiantur. Et velut qui sagittis ad scopum ejaculandis certant, non emittunt ante sagittam, quam oculo

collinearit ad metam; sic et ego, quidquid demum acturus sim, ad Deum finem nostrum ultimam, intentionem meam dirigo, et hoc est, quod ago, dum subsisto, id enim Deus a nobis exigit. *DREV. in Amussi l. 1, c. 1, § 2.*

B. Magdalena de Pazzis dicere solebat: Si crederem, me uno solo verbo dicto ob alium finem, quam ob amorem Dei, etiamsi non esset ejus offensa, posse evadere Seraphinum, nunquam illud dicerem. Hinc etiam assiduo inculcabat suis Monialibus, ut omnes etiam minimas actiones purissime referrent ad Deum; et ne hæc doctrina exideret, crebro inopinato quærebatur ex illis, cur hoc illudve facerent? quod si audiret, casu aut ex consuetudine factam aliquid sine intentione supernaturali, dicere solebat: Non videtis vos meritum perdere? Deus talibus operibus non pascitur. *Vita, c. XXXVII, cap. XLIV.*

S. Gertrudis virgo, quando etiam ob indigentiam suam aliquid expendit, gaudebat mirum in modum, perinde ac si in Dei honorem illud super altare obtulisset, aut erogasset in pauperes. Dominum enim in se ipsa contemplantur, cui se providisse gaudebat. Ideo sive dormiret, sive manducaret, sive aliud quid commodi, aut requiei suo impenderet corpori, non aliter quam si Domino id fecisset, exultabat. Nam Dominum in se, et rursus se in illo intuebatur. Ideo in se quoque illi, et sibi propter illum, servire et benefacere gestiebat, quo impleat Dominicum illud: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; se et enim existimabat et minimam, et vilissimam omnium creaturaturam. Ideo quidquid sibi impendit, minimo, qui ad Deum pertineret, arbitratur se impendisse. *Insinuat. div. piet. l. 1, c. XII.*

UTILITAS. — Cum S. Gertrudis semel labore quodam gravatum caput cuperet recollare, et propterea species, quas aromati-cas vocant, ad Dei laudem in orâ teneret, tunc Dominus sua benignitate se ad illam inclinavit, quasi haustus ex ea odoris fragrantiam, simulans odore hoc specierum se egere et confortari. Nam paulo post idem se denno erigens, suavissimum emittebat anhelitu suo odorem. Deinde lætabundo vultu, quasi gloriaretur de hoc, ad omnes Sanctos loquebatur: Ecce nunc quid novi a sponsa mea receperim. Verumtamen incomparabiliter majori reficiebatur hæc Sancta gaudio, quando beneficii quid ejusmodi in

proximum locasset, quam gaudere soleat avarus, si pro uno denario centum recipiat marcas. *Loc. cit. Insinuat.*

Eadem cum ex multimoda consolatione presentie Domini, et spiritualium intellectuum exercitatione, nimis esset debilitata, accipiens uvas nocte quadam recreavit se tali intentione, qua ipsum Dominum in se ipsa refliceret. Quod Dominus magnifice acceptans ait: Modo fateor mihi recompensatam amaritudinem illam, quam de spongia in cruce pro amore tuo tibi; quoniam pro ipsa jam de corde tuo indicibilem dulcedinem sugo. Et quanto tu prius ad laudem meam corpus recreaveris, eo suavius ego me profiteor in anima tua refectum. Hinc cum illa pelliculas et acinos uvarum in manu congregatos, in medium domus projiceret, adfuit et Satan omnis boni persecutor, qui hoc, quod ista abjecerat, recolligere conabatur, quasi ad testificandum culpam infirmæ, quia ante matutinas contra Religionem comedisset. Cumque unam de iisdem pelliculis velut duobus digitis vix attigisset, illico intolerabili cruciatu ardore combustus, terribiles emittendo latratus, de domo coniectus prosiliit, diligentissime observare studens, ne aliquid ultra pede contingeret, ex ejus tactu cruciatum persenserat tam intolerabilis pœnæ. *Ib. c. LVII.*

Alia vice, cum feria sexta ante Bacchalia, post, matutinam audivisset in coquina pulsari servis laboraturis ad prælibandum, illaque ingeniscens dixisset: Heu me, mi Domine, quam mane surgunt homines ad infestandum te cibo? Ad quod Dominus blande quasi subridens dixit: Noli ingeniscere, charissima, quia hi, quibus modo pulsatur, non sunt de numero illorum, qui contra me erapula sæviunt, quia per hanc prælibationem ipsi vocantur, et incitantur ab laborem. Unde et ego deleor in eorum cibo, quemadmodum quis delectatur in refectione sui jumentum, quod pabulo pascit ad ministrandum sibi. *Ibid. l. IV, c. XIV.*

Præclarum illud sancti cujusdam coci, qui a B. Joanne Climaco interrogatus, quomodo in tanta rei culinaria occupatione, quæ ducentis triginta Religiosis, præter externos et peregrinos, alendis sufficeret, tam esset tamen æquo semper, compositoque et collecto animo? respondit, id ex eo fieri, quod omnia tamquam Deo faceret. *S. Ctm. grad. XVIII.*  
Christus quondam B. Mechthildi dixit: Quando quis somnum capere vult, medite-

tur aliquid de me, aut mecum loquatur. Ita enim licet corpore dormiat, mente tamen vigilabit ad me. Etiam dormiturus quisque desideret, ut singulas respiraciones, quas nocte ille faciet, tamquam eximiam mei laudem suscipiam, et ego qui sanctis votis pie amantisque animæ deesse non possum, in veritate desiderium ejus implebo. *Biosius in Monil. c. IX.*

Hermanus Laicus in Purgatorio existens apparuit, dixitque, inter alia levamina sua etiam hoc fuisse, quod intercessores ejus omnes quod agebat per bonam intentionem dirigebat ad laudem Dei, ut est laborare, comedere, dormire et similia. *Lib. V, Insinuat. c. XV.*

S. Gertrudi quondam dixit Christus: Qui-cumque studuerit singula commoda sua in bibendo, comedendo, dormiendo et similibus, ea sumere intentione, ut dicat corde vel ore: Domine, hunc cibum vel aliud quodcumque suscipio in illo amore, quo tu ipsum eundem sanctificasti, cum in tua sanctissima humanitate consimili utereris ad laudem Dei Patris, et totius generis humani orans, ut in unione divini amoris tui, cedat in augmentum solatii omnibus celestibus, terrestribus, et purgandis; ille singulis visibus, quibus tali conventione aliquid suscipit commodum, ostendit eorum me quasi scutum quoddam firmissimum, quo contra diversas molestaciones, quibus a mundanis infestor, quasi protectus defendor. *Lib. IV, Insinuat. c. IV.*

De ipso Achab Rege quantumcumque maligno dixit Deus: Nonne vidisti Achab humiliatum eorum me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. *III REG XXI, 29.*

MALA INTENTIO. — Seditiosi ducenti quinquaginta Proceres synagoga licet cum Aarone thus in proprio quisque thuribulo obtulerint, quia tamen pessima id intentione (scilicet ut Moysen et Aaronem in odium populi traherent) fecerunt, descenderunt vivi in infernum, aperti humo, et perierunt de medio multitudinis. *NUM. XVI, 33.*

Herodes licet perinde Christum invenire et videre ardentissime desiderarit, atque tres Magi, quia tamen non adorandi, sed occidendi causa id desideravit, supplicium potius, quam præmium eodem desiderio promeruit. *MARTH. II.*

Absalon primo diluculo stetit ad portam regiam, et, ubi quispiam accessit salutaturus

illum, extendebat manum suam, et apprehendens osculabatur illum. Sed et a parente veptiam abundi petiit, sacrificium et peregrinationem rovisse se simulans: verum quia hæc omnia pessima, intentione scilicet ut patrem de solo deieceret, patravil, scelus immatura morte luit. *II REG. c. XV, 5.*

Sacrificiuli Baalis bovem quidem imposuerunt are, ut Elias, et a primo mane usque ad meridiem clamabant: Baal, exaudi nos! sed et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine, nihil tamen effectum dabant, quia radix boni successus, bona videlicet intentio deerat. *II REG. XVIII, 26.*

In monte Golgotha duo juxta Christum latrones pendebant, et æquale supplicium tulerunt; quorum tamen alter Paradiso, alter Tartaro exceptus est, quia dispar utriusque in tolerando supplicio intentio fuerat. *LOC. XXIII, 33.*

#### EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius in singulis actionibus cum reflexione quadam animi operam dedit, ut in quam maximam Dei gloriam redundarent. Sed et assiduo in ore et calamo habebat tritum illud: *Ad majorem Dei gloriam*; certe in solis Constitutionibus ducentes, bis et quadragies, numerante P. Lancizio, hunc finem inculcavit. *Hist. Soc. p. 1, l. XVI, n. 103.*

S. Franciscus Xaverius in periculo tempestatis evidenti, divina consolatione repletus petiit a Deo, in plures tales aut majores tempestates conjici, dummodo suis periculis aliquam divinam gloria navaret operam. *Vita, l. III, c. XIII.*

S. Franciscus Borgias dicebat semper sibi suas conciones succedere, etsi non placerent quandoque sibi et aliis, ob defectum vel materiam, vel dispositionis, quia pure propter Deum eas parabat, et faciebat, quantum poterat. Egrotante uxore solus aliquando conclave remotis arbitris ingressus obnixæ lacrymis fuis obtestabatur Deum, salvam conjugem supersitenteque servare vellet; cum ecce ibi vocem quamdam internam clare audire visus est, ut post ipse retulit, que dicebat: Uxorem si diutius superesse vis, arbitrato tuo fiat, at tibi non expedit. Qua re turbatus, minime dubitavit, Dei vocem esse, parendum itaque, tacite enim redargui, quod, quid peteret, igno-

raret. Rursus vero in lacrymas dixit, hisce admissis vocibus: Domine Deus, unde hoc mihi, ut arbitrato committas meo, quod in tua solius est potestate? Mea permagni refert, tuam sequi in omnibus voluntatem. Quis enim te novit rectius, quia e re mea sit? tua itaque voluntas fiat; nec de uxore solum, sed de liberis etiam status supplex oro. Observantium conjugis morbum statum quemdam tunc tenuisse, ut dubitarent medici, meliusculene, an deterius haberet. Post has vero preces ad desperationem medicorum laborare cœpisse. LANCZ. *Opusc.* III c. III, n. 89.

P. Petrus Faber decem sibi fines in horis canonicis (hæud dubie etiam in aliis functionibus) proponebat. 1. Unam Dei gloriam. 2. Sanctorum honorem. 3. Incrementa justorum. 4. Liberationem eorum, qui mortiferis noxis essent implicati. 5. Catholice rei progressum. 6. Mutuam inter Catholicos Principes pacem atque concordiam. 7. Sanitatem ægris impetrandam. 8. Solutum eorum, quos animi quæpiam vexat sollicitudo. 9. Moribundorum confortationem. 10. Animarum purgantium liberationem. *Vita*, l. II, 6, 7.

Joannes Berckman ante opera potiora sic suam intentionem formabat: O Deus meus et omnia, cui omnes creature serviunt, gratias ago divinæ bonitati tuæ, quod me usque ad hanc horam conservare dignatus sis, et propono per gratiam tuam hoc opus et omnes reliquas diei hujus et vitæ totius actiones facere ad nominis solius tui gloriam, ut tibi maxime placeam et B. Virginem, Patronosque meos, Angelumque custodem latifecem, et nominatim illum, quem hodie colo; et protestor me nullam præter hanc ab hostibus suggestam admittere intentionem. *Vita*, pag. 226.

## SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut fabrica columnis, columnæ autem basi inniuntur; ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt. S. GREG. in *Moral.*

Sicut conjux reduci ex via marito, aut filio, pedes abluens, simul et servit, et serviendo actum amoris exerceat; ita et domesticus Dei per opera quotidiana simul et servire Deo, et illum amare debet. S. GREG. l. c. VIII.

Sicut homo potentulus, quoties fere bibit, toties combibonum uni propinat; ita homo probus ad cujusque operis initium Deo illud consecrat. DREX. in *Amussi*, l. I, c. II, § 4.

Sicut aqua ex alto deluens, quamvis multis ambagibus cursum suum exerceat, tandem tamen ad primæ originis altitudinem ascendit, et cum ortu suo æquatur; ita actiones hominis licet ex Deo altissimo originem sumentes in profundum defluant (id est, ad humillima objecta se demittant) semper tamen per intentionem ad Deum revertere debent. Idem. l. I, c. VII.

Sicut nemo, quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi constet, quid velit pingere; ita nemo actiones suas rite componet, nisi prius, cui idæa eas conformare debeat, cognoscet. SENECA. ep. LXXI.

Sicut oculis istis carnalibus omnia corporis membra ordinate ad operationes diriguntur; ita intentione mentis et luce fidei cuncta virtutum genera, ut lucidum corpus perficiant, illustrantur. PASCHAS. l. IV, in *Matth.* coll. 349.

Sicut usurarius avarus (dixit Christus ad S. Gertrudem) invitatus negligeret, si saltem unum denarium lucrari posset; sic ego, qui delicias meas statui habere in te, multo invitius permitterem mihi unum cogitatum, sive motum extremi digiti tui propter me factum, sic perire, quod ipsum non in summam laudem meam converterem ad tuam salutem æternam. S. GERTR. l. III, *Insinuat.* c. LIV.

Sicut sagittarius ut certius collimet, dextrum tantummodo oculum in scopum aperit, clauso sinistro; ita et nos, quod divinam ex omnibus rebus gratiam promeremur, unum sincere mentis oculum omnibus in rebus apertum habere debemus, et Deum spectare in omnibus; siquidem universa propter semetipsum operatus est Dominus. Ad quod apposite S. August. Ut tibi totus servirem, omnia quæcumque fecisti, in meum servitium tradidisti. Et S. Basil. Virtus ac ratio vivendi, inquit, unum scopum sibi propositum habet, nempe gloriam Dei. *Pædagog. Christ.* p. II, c. IX.

NECESSITAS. — Sicut inutilis est dolabra scribæ ad scribendum, aut calamus seriniario ad lavigandum; ita inutilis quoque homo ille est mundo, qui ad finem suum, id est, majorem Dei gloriam non tendit. NIEREMB. de *Ador.* l. II, c. XXI.

Sicut ager, quem messibus onerare quis

timet, cessante cultu, sponte se inutilibus herbis exhauriet; ita homo, nisi per assiduas actiones bonas, id est, cum bona intentione factas se excolat, vitius scatebit. DREXEL. l. c. XII, § 3.

Sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus fulciuntur; ita vita nostra virtutibus, virtutes vero in intima intentione subsistunt. S. GREG. l. XVII *Mor.*

UTILITAS. — Sicut si quis virgam haberet, quæ lapides in aurum converteret, omnem diligentiam in hac virga custodienda et usurpanda adhiberet; ita cum similem effectum bona intentio habeat, omnesque actiones nostras aureas et meritorias efficiat, merito ad singulas aut potiores ejusmodi actiones extendenda fest. DREX. in *Amussi*, l. c.

Sicut qui ludunt lusum, cui nomen: « Qui vincit, perdit; » perdendo luantur, et lucrando perdunt; ita et homo quanto minus lucrum et commodum suum in actionibus propriis querit, tanto plus meriti celestis obtinet. LUD. GRAN. in *Duce pecc.* p. II, f. 775.

Sicut decor corporis in facie; ita decor totius operationis animæ consistit in intentione. Hinc S. David ait: Omnis gloria Filie Regis ab intus. S. BERN. in *Sent.* Ps. XLIV, 14.

Sicut auri exigua massa, magnum superexcedit cumulum vilis cujusque metalli; ita pauca opera peracta cum incendio puræ charitatis, in conspectu Conditoris magis fulgent et gratiora fiunt, quam multorum exercitia laborum prodeuntia ex radice negligentia, et de fonte intentionis inculcæ. S. LAUR. JUSTIN. de *Discipl. mor.* c. XLII, col. 3.

Sicut radix truncum, ramos, frondes, flores, et fructus, medulla, virore, calore, sapore, temperie, et quocumque alio locupletat bono, quo ipsa gaudet; ita bona recteque intentionis radix quæcumque voluntatis, cordisque in Deum fixi actum et desiderium, verba, cogitationes et opera nostra meritoria esse facit; ac proinde S. Gregorius intentioni epithetum radicis attribuit. S. GREG. l. XXVIII *Mor.* c. VI.

Sicut charta aliqua parvula parum vel nihil valet, aut æstimatur; at vero quando Regis vel Principis subscriptione aut sigillo subsignata est, omnis eidem exhibetur reverentia et obedientia; sic quoque multe operationes nostræ nullius future essent meriti, ad consequendam vitam æternam, vel ad au-

gendam et acquirendam gratiam; at vero quando conjunctæ sunt, et signatæ sigillo rectæ intentionis, meritoria fiunt, et a Deo magnopere remunerantur. Vult enim Deus, inquit Didacus Stella, ut opera nostra in ipsum dirigamus, et ut sigillo rectæ intentionis ea designemus, ne ea amittamus. MASSI, tr. XXXVII, disc. v, n. 1.

Sicut si poma ex arbore in terram decidunt, subito deficiunt et marcescunt, non vero si super arborem colligantur; inque loco elevato collocentur remoto a terra, sic enim per longum durant tempus; ita quoque plurima opera nostra, si ad supernaturalem finem per intentionem ordinentur, æternitatem acquirunt, conservantque beatam. Idem. n. 6.

JUCUNDITAS. — Sicut apis, quocumque vadit, mel operatur; ita et Monachus, quocumque pergit, si propter opus Dei pererit, dulcedinem honorum actuum semper potest percipere. *Vita PP.* l. III, n. 187.

MALA INTENTIO. — Sicut fellis aut acetii medicum, totum vini optimum dolium corrumpit; ita vel parva mala intentio sufficit ad omnes hominis actiones corrumpendas. DREX. l. I, de *Int.* c. VIII.

Sicut salamandra tantum veneni secum vehit, ut si radicem arboris contingat, omnes fructus in radice jugulet; ita si mala intentionis vel minimam particulam tartareus serpens actionibus nostris immisceat, omne eorum meritum et efficaciam tollit, juxta notum illud: Cum perversa est intentio, quæ præcedat, parvum est opus omne, quod sequitur. Idem, c. X.

Sicut si Pincerna phiala ad usum Regis parata, ut ex eo bibat, pro vase immundo abuteretur et sordibus impleret, merito hæc phiala, et ipse Rex gravi injuria se affectos quererentur; ita de non minori injuria expostulare poterit Deus et actiones nostræ, si has ad cultum supremi Regis destinatas, ad creaturarum solatium servitiumque applicemus. NIEREMB. *Vit. div.* c. XXI.

Sicut fructus quarundam arborum talis sunt nature, ut facile, si terram attingerint, computrescant; ita et actiones hominum, si terrestrem sibi finem eis præfigamus, omnem suum vigorem et meritum amittunt. NIER. lb.

Sicut si cupiam sitienti lactis optimi florem quis propinet, et tali tamen catino, in quo plurimæ muscæ innatent, indignationem potius, quam gratiam reportabit; ita nec

actiones hominis utcumque aliqui prestantes, gratie Deo esse poterunt, si muscæ morientes intentionum terrestrium earum suavitate perdant. *DAEX. in Amussi, l. I, c. x, § 9.*

Sicut erodius avis ad aves aqua se mergentes advolat, et capita illarum morsu tam diu corripit, donec capturam extorqueat; ita Dæmon hominum actiones suas obeuntium, et per hoc spirituales alimoniam providentium caput, id est, intentionem impedit, ut hac via totum actionis meritum abripiat. *Idem, l. II, n. 3, § 2.*

## MOTIVA.

*Æquitas.* Quid enim æquius, quam ut sicut gratis Deus nos dilexit, et beneficia contulit, ita vicissim ipsum gratis diligamus, debitumque ei servitium exhibeamus, juxta illud Christi: *Gratis accepistis, gratis date?* *MATTH. x, 8.*

*Necessitas.* Juxta illud Christi: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* *MARC. x, n. 4.*

*Utilitas.* Quia juvat ad vitam æternam certius (juxta illud Christi: *Qui reliquerit domum etc. et alia sua privata commoda, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit*) certius, quia, ut *B. Magdalena de Pazzis* Christus ipse revelavit, puræ intentionis crebra repetitio, est optimum medium ad Purgatorium evadendum, et copiosius obtinendam, quia juxta mensuram intentionis, crescit meritum actionis. *Ib. c. vi, 1.*

*Jucunditas.* Quid enim jucundius, quam Deum et totam curiam celestem pro spectatoribus habere; pro quavis cogitatione, verbo, aut actione infinitum et ideo inexplicabile præmium sperare? *MARC. xv, 29.*

*Facilitas.* Quid enim facilius, quam unicam cogitationem operibus potioribus præmittere, maxime cum tam ingentibus etiam ad eam lucrus incitemur?

*Securitas.* Cum enim hæc intentio occulta sit, periculo vanæ gloriæ non ita exposita est, ac aliæ actiones, atque adeo integre operanti præmium ac merces manet.

*Dignitas.* Quæ enim major excogitari dignitas potest, quam Deo servire, Deo placere, Deo uniri, a Deo amari? Vero omnis

gloria Filie Regis (id est, animæ Christianæ ab intus, id est, ab ista intentione dependet. *Ps. xlv, 13.*

## MEDIA.

*Magna æstimatio;* quæ quidem ex consideratione prædictorum motivorum et ultimi præsertim facile concipietur.

*Cor mundum procurare;* ita enim docuit regius Psaltes, dum dixit: *Cor mundum creavit in me, Deus, et spiritum rectum (intentionis rectæ ad cælum tendentis) innovavit in visceribus meis.* Sicut enim pluma, si ab omni pulvere lutoque munda fuerit, facile in altum se attollit; ita et cor ab omni peccati macula liberum haud difficulter ad cælum elevatur.

*Charitatis divinæ studium;* cum enim anima magis sibi sit, ubi amat; sumente sponte in Deum per intentionis ardentissime impetum rapietur, si dietæ charitatis divinis igne ardentius fuerit accensa.

*Sua opera libenter et studiosè abscondere;* exemplo mulieris illius Apocalyptrice, quæ peperit filium masculum, et raptus est filius in solitudinem, ubi habuit locum paratum a Deo. *APOC. XII, 5.*

*Intra opus omnes vanæ gloriæ insidias studiosè declinare,* illud *S. Bernardi* frequenter repetendo: *Propter te non cœpi; propter te non desinam.*

*Sæpe ponderare,* quantum præponderet solius Dei judicium et beneplacitum omnium hominum, etiam collectivè acceptorum, uti et Angelorum omnium, judicio et laudi.

*Assuetere,* crebro tam sub ipso opere quam eo finito, omnem illius fructum ac laudem Deo adscribere, ac eum Davide dicere: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam;* ad exemplum *Joab* ab eundem Davide per nuntium dicentis: *Nunc igitur congrega reliquias populi tui, et obside civitatem et cape eam, ne, cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria.* *II REG. XII, 28.*

## ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ in hac materia præcipue scienda sunt Ascetæ, aliisque per eum inculcanda. Primum est, ut bene intelligat naturam rectæ intentionis, quem in finem

triplex ei similitudo servire potest. 1. *Rectæ columbæ.* Ut enim hæc tunc vere recta dicitur, quando sine ulla inclinatione adversus terram, sursum erigitur; ita nunc quoque intentio recta dicitur, per quam sola Dei gloria et beneplacitum, absque ullo proprio emolumento aut solatio intenditur, ita ut, quemadmodum *S. Bernardus* loquitur: *«Deleat nos non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quam quod ejus in nobis et de nobis voluntas adimpleta videatur.»* *S. BERN. tr. de dilig. Deo, col. XI.* 2. *Oculi simplicis;* quæ similitudine Christus usus est, dum dixit: *«Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit,»* atque significare voluit, tum demum parum intentionem nostram fore, si unicuique nobis divinæ gloriæ et beneplaciti finem proponamus, neque alium, ob quem intentio duplex potius, quam simplex dici deberet, admisceamus. *MATTH. VI, 22.* 3. *Manus dextræ;* quæ similitudine Christus iterum usus est, dum dixit: *«Nesciat sinistra tua, quid faciat dexteræ tuæ.»* Ubi per dextram *S. Augustinus* intelligit amorem et puram intentionem ad Deum; per lævam obliquum oculum ad umbras falsæ gloriæ. *Serm. LXVI.*

Secundum est, ut bene cognoscat indicia bonæ intentionis, quorum quidem sequentia potiora ab Ascetis assignantur. 1. Si quis non ægre ferat, quando opera sua male succedunt, aut non laudantur ab aliis; nam ut *S. Chrysostomus* prudenter advertit, quemadmodum illi, quos divites esse juvat, si quando in paupertatem inciderint, morore afficiuntur, et qui deliciis assueverunt, tenuem ac simplicem victum tolerare non possunt; ita qui laudum amore capti sunt, non solum cum injuste vituperantur, sed etiam cum ab aliis assidue non laudantur, quasi fame quadam animum conficiunt. *S. CHRYS. l. II de Sacer.* 2. Quando, ut *S. Basilius* loquitur, magnum apud laudantes studium quis præfert, nec apud vituperatores lentior efficitur. Si enim vere habet in animo placere Deo, idem erit ubique et illud efficit, quod dictum est: *Per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per famam et bonam famam, ut seductores et veraces.* *S. BASIL. p. 33 Brev. 3.* Si enim alii præclara patravit opera, tantam quis percipiat animo voluptatem, ac si ipse similia perpetrasset, et, juxta exemplum *Moyseis*, dicat: *Quid emularis pro me?*

Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum? *NUM. XI, 29. 4.* Si ad omnia officia, honorifica æque ac humilia, eandem in se promptitudinem atque alacritatem advertat; id quod *Philippus III, Hispaniarum Rex*, symbolo suo expressit, in quo leo stabat dextro pede erucem et oleam, altero equestrem hastam præferens, cum inscriptione: *Ad utramque paratus.* 3. Si non angatur quis, aut distrahatur ab agenda in curas, quæ a præcibus, cura conscientie, Dei memoria avocent; qui enim sincere intentionis est, hoc agit, ut facultati et viribus suis convenienter agat. *DAEX. l. II, in Amussi, c. ix, sign. 3.*

Tertium est, ut convenientem de hoc exercitio bonæ intentionis æstimationem concipiat; id quod facile obtinebit, si meminert, beneplacitum Dei esse præmium omnium, quæ in terris aut cælis optari vel expectari possunt, præstantissimum; habet enim in se conditiones quæ ad præmium undequaque perfectissimum, summamque mercedem requiri possunt. Est enim I. merces magna nimis; utpote quam ipsi etiam *Beati gloriæ* sine gaudioque præferunt parati potius beatitudinem suam amittere quam ut Dei beneplacitum in se non adimpletum viderent. 2. Est merces præsentissima; id est, eo statim momento persolvenda, quo opus bonum peragitur; et (quod non parum æstimari debet) usque adeo constans et permanens, ut nulla amplius ratione auferri possit, cum fieri nequeat, ut Deus in opere aliquo, in quo semel sibi complacuit, per totam æternitatem non complaceat. 3. Est merces facillime obtinenda; nam, ut bene *S. Chrysostomus* dixit: *«Non parantur hæc sumpta, non labore, non sudore; sufficit velle, et confecta sunt omnia.»* *S. CHRYS. hom. XXIV, in ep. ad Hebr.*

Quartum est, «non sufficere, ut opus virtute referatur in Deum, si quis ad initium anni, vel mensis, generali quadam intentione referat omnia sua futura opera in Deum, sed necesse esse, ut illud ipsum opus particulare referatur in Deum, quod postea faciendum est. *S. BERN. in H. dist. XII, ar. 1, q. III.* Tunc enim dicuntur opera virtute in Deum relata, cum intentio præcedens est vera causa operum, quæ postea fiunt. Ut, si quis apud se certo constituit aliquam numerorum summam propter Deum pauperibus erogare, et postea summam illam oblata

occasione eroget, is dicitur virtute referre opus suum in Deum, etiamsi dum pecunias illas distribuit, nihil de eo cogitet.

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione sententiæ: « Redde illis mercedem; » (MATTH. XX, 8.) ostendi potest magnitudo mercedis, quæ illis, qui nihil aliud, quam solum Dei beneplacitum inquirunt, offertur, eumque in finem servire possunt ea, quæ supra sunt dicta. Vide Drex. in *Amussi*, l. II, c. x.

Possunt auditores doceri, quomodo verum aurum spirituale conficere debeant. Atque adeo in prima parte ostendi potest, quam recte opera bona seu meritoria auro comparentur, præcipue vero ob dignitatem, utilitatem (ad celeste Regnum emendum, imo etiam in hac vita ad omnia necessaria obtinenda, juxta illud Christi: Quarite primum Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adicientur vobis. MATTH. VI, 33. Et illud S. Pauli: Pietas ad omnia utilis est. (I TIM. IV, 8) et jucunditatem. Plusenim recreant et confortant cor, maxime in agone, quam ullum aurum; nam, ut recte dicit Thomas Kempensis: Gaudebis semper vespere, si diem insumas fructuose. L. I, c. XXV, § ult. In secunda parte ostendi potest, quid requiratur ad aurum hoc conficiendum, scilicet. I. *Materia bona*; id est, opus saltem indifferens, quale Seneca descripsit sequentibus verbis: Indifferentia dico esse, nec bona, nec mala, tamquam morbum, dolorem, paupertatem, exilium, mortem; horum nihil per se gloriosum est, nihil tamen sine his. Illa in medio posita sunt; interest, utrum malitia illis, an virtus manum admovert. SEN. EP. LXXXI. 2. *Ignis amoris seu gratiæ*; nam, ut S. Paulus recte advertit: Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, nihil mihi prodest. I COR. XIII, 13. 3. *Lapis Philosophicus recte intentionis*, qui ultimum complementum addit; nam, ut recte dixit Seneca: Omnes res, quod non habuit, decus virtute addita sumit. Cubiculum lucidum dicimus, hoc idem obscurissimum est nocte; dies illi lucem infundit, nox

eripit. Epist. LXXXII. Vide Drex. in *Amussi*, lib. II, c. x. concl. 1 et seq.

Ex occasione sententiæ: « Omnis gloria Filiae Regis ab intus; » (PSAL. XLIV, 15.) ostendi potest. 1. Quam vere dicatur, totam gloriam et pulchritudinem animæ esse ab intus, scilicet ab intentione interna. 2. Ostendi potest, quam vel ex hoc capite æstimanda et frequentanda sit praxis bonæ intentionis; si enim corporalis pulchritudo æstimatur, ut nihil non per illam obtineri posse credatur, ideoque Sponsa de Sponso dixerit: Accingere gladio tuo, potentissime. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna; quanto major æstimatio de spirituali pulchritudine animæ concipienda est, quæ tantum excedit corporalem, quanto anima corpus dignitate sua præstantiaque sua antecedit. Certe de hæc verius dici potest, quod Regina quedam formoso juveni litteras commendatitias petenti dixit: Ito, et faciem tuam ostendito, et per eam potentius animos, quam per diploma expugnabis, efficaciusque quod petieris, obtinebis.

Ex occasione sententiæ: « Præceptor, tota nocte laborantes nihil cepimus; » (LUC. V, 5.) ostendi potest. 1. Quam vanus sit labor eorum, qui in nocte, id est, sine bona intentione, aut etiam omnino cum mala laborant. 2. Quam fructuosus sit labor eorum, qui de die et ad mandatum Christi, id est, cum bona intentione laborant, idque ex quantitate triplicis fructus in opere bono reperiri soliti, scilicet meritorii, satisfactorii, et impetratorii probari potest. Quem in finem, l. II, c. VI et l. I, c. IV, servire potest ex *Amussi* Drexel.

Ex occasione thematis: « Osculetur me osculo oris sui; » (CANTIC. I, 1.) explicari potest triplex intentio per triplex osculum, nempe. 1. *Servilis*, per osculum pedum Salvatoris, quia per hæc pedes Christi exosculatur operans, ne ab iisdem repellatur, et audire cogatur: Ite maledicti in ignem æternum. 2. *Filialis*, per manuum osculum, quia ab his præmium et hæreditatem vitæ æternæ expectat. 3. *Maritalis*, per oris osculum, quia per hæc solum Sponsi dilecti beneplacitum intenditur. Quæ omnia fusiùs diduci, eumque in finem legi potest S. Bernardus, in Canticoorum versio. I, et Drex. l. I, c. II.

#### ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

QUALITAS. — Certi quidam discipuli, teste S. Joanne, servitio Salvatoris se dedicare decreverant, quos ego primos autumo fuisse Christianos, quia primi omnium Christum secuti sunt; conversus autem Jesus, et videns eos sequentes se, dicit eis: « Quid queritis? » Nonne ipse intima noverat, et secretissima cordium omnium; quorum igitur, quid vellent, interrogat, utpote probe sciens, clareque discernens placitum meum? Doctor Angelicus Christum hac interrogatione intentionem ream, quæ cum sequelam ejus exorsi fuerant, declarare voluisse autumat; insuper observans hæc ipsa verba prima fuisse, quæ S. Joannes in Evangelio suo retulit de Christo, in quibus, quanta sollicitudine rectam finem nostrorum directionem urgeret, ostendit. Notandum, inquit ille, quod hoc est primum verbum, quod Christus in isto Evangelio loquitur, et congrue, quia primum, quod querit Deus ab homine, est recta intentio. Hinc et Ecclesie sancta in Prima officii divini a nobis recitari jubet verba illa: « Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos; » illa namque de rectitudine intentionis, quæ omnia opera nostra, ut Deo grata sint et accepta, comitari debet, intelliguntur; hinc et mox prosequimur dicentes: « Oremus. Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus, Rex cœli et terræ, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus nostros in lege tua. » MANST, tr. XXXVII, disc. I, n. 3.

Sanguis victimarum offerendarum olim ante Altare profundum debebat, adepsque earum honori et cultui divino consecrari, prout ex his in Levitico contentis colligitur verbis: « Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus et cunctis habitaculis vestris, nec adipem, nec sanguinem omnino comedetis. » Nonne Deus noster per Psalmistam potestatur: « Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo Sacrificium laudis et redde Altissimo vota tua. » Cor, affectum, intentionem a nobis exigit Deus, quorsum igitur dictum de sanguine et adipe

immolanda præceptum? Dubium hoc in suis super Leviticum Commentariis resolvit S. Cyrillus Alexand. in hæc verba: Sanguis sedes animi; qui sanguinem, is et animum admittit. Voluit ergo Deus in omni Sacrificio, voluntatem, cor, intentionem velut sanguinem effundi coram se, nec guttula in alios usus reservata. Quando igitur Deus totam victimam pinguedinem ita sollicitè sibi deposcit, nil aliud præter intentionem, rectumque in operibus et oblationibus nostris in honorem ejus factis, exigit, prout his verbis clare docet Hesychius, dicens: Quia adipem in æternum præcepit Domino offerri, manifestum est, quia consecrari Deo nostrum desiderium vult. In æternum autem hoc, ne ad Deum illud, et ad mundum dividamus. Ibid. n. 8.

Sponsa in Canticis, per quam omnes animam electam intelligunt, a cœlesti Amatore in vultu, et quidem quoad ambas genas speciosa dicitur: « Facies tua decora, pulchrae sunt genae tuæ. » Per faciem vero intentionem denotatur; unde S. Greg. de quatuor mysticis animalibus apud Ezechielem quadrigam Altissimi post se trahentibus disserens, ait: Facies eorum et pennæ eorum extensæ desuper describuntur, quia omnis intentio, omnisque contemplatio Sanctorum super se tendit, ut illud possit adipisci, quod in cœlestibus appetit. Sive enim bono operi, sive invigilet contemplationi, tunc veraciter hoc, quod agit, bonum est, quando ei complacere concepiscit, a quo est. Ibid. n. 4.

Præstabunt tibi fortasse præcepta, ut quod oportet, facias; non præstabunt, ut quem admodum oportet; et si hoc non præstant, ad virtutem non perducunt. Faciet, quod oportet monitus, concedo; sed id parum est, quia non in facto laus est, sed in eo, quem admodum fiat. Ibid. n. 5.

Seneca sapienter dixit: Non quid fiat, aut quid detur refert, sed qua mente. Quia beneficium non in eo quod sit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. SENEC. l. II de Benef. c. VI.

Cum Naas Ammonites cum incolis Jabes Galaad pugnaret, itique se prosternentes et profigandos esse metuerent, cum Naas pacisci cœperunt, et pacem postularunt, dicentes: « Habeto nos confoderatos, et serviemus tibi. » Quibus superbus Naas respondit: « In hoc feriam vobiscum fœdus, ut erum omnium vestrum oculos dextros. » Idque ea intentione faciebat, quia cum ocu-

lus sinister sub scuto abscondatur, si dexter eorum oculus erutus fuisset, consequens omnino erat, ut quasi utroque oculo destituti in caligine ambularent. Idem quoque pactum Tyrannus Tartareus cum suis paciscitur, nimirum ut intentio, quæ dexter animi oculus est, obfusceretur, id est, depravelur, quia quantumvis opera, quæ exercentur, bona sint, si tamen finis, propter quem fiunt, terrenus est illa nihil prorsus ad meritum vitæ celestis valitura novit. Lyranus in moralitate hujus textus ita scribit: Per Naas, qui *serpens* interpretatur, Diabolus intelligitur; hic autem querit eruere oculos dextros virorum Jabes, quæ *color* interpretatur, nam viris charitate ferventibus malignus insidiatur, pro oculo autem significatur intentio. MATTH. VI. « Si oculus tuus simplex fuerit, » id est, intentio tua, secundum Augustinum. Per oculos igitur dextrum ad bona spiritualia, per sinistram autem ad temporalia designatur; per hoc igitur, quod Naas oculos dextros virorum Jabes querat eruere, significatur, quod Diabolus intentiones virorum in charitate servientium querit a bonis spiritualibus totaliter avertere. MANSI, tr. LXXXVII, disc. IV, n. 1.

S. Antoninus de hac materia disserens et sequentia Cantie verba: « Caput ejus aurum optimum, » adducens inquit: Caput designat intentionem, quia sicut caput est principium corporis, ita intentio est principium operis. Et paulo post subjungit: Aliqui habent caput terrenum, qui scilicet non intendunt, nisi congregationem substantiæ in suis operibus, etiam de genere honorum propter hoc jejulant, orant, et hujusmodi faciunt, ut prosperentur. Alii caput carneum, qui intendunt tantum satisfacere nature, ut ea, que fiunt propter parentelas, vel sensualitatem; ut nulli sub specie spiritus multa faciunt propter presentiam corporalem personarum. Alii habent caput aureum; isti sunt Sancti, qui omnia, que faciunt, faciunt propter amorem Dei, et amore ejus; charitas enim aurum significat. Apoc. III. « Suadeo tibi emere aurum, » id est, charitatem, quia sicut aurum excellit omnia alia metalla, ita charitas omnes alias virtutes, et quanto quis ex majori intentione charitatis aliquid facit, tanto magis est Deo gratus, et meretur. S. ANT. p. 4, tit. II, c. IV in v Cant.

Dignissimum est, quod notetis, et porro demiremini, inquit S. Petrus Damianus,

quod, cum quatuor fuerint, qui Christum in mortem tradiderunt, eorum tribus aternas hoc nomine debeamus laudes et gratiarum actiones, cum quartum execrerim, et maledictis gravissimis ferociter impetamus, nec satis figere posse probris existimemus. Pater æternus tradidit in mortem Filium suum, de quo S. Paulus, Rom. VIII, 32. « Etiam proprio Filio suo non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. » Et: « Filius tradidit semetipsum pro me, » inquit iterum Paulus ad Galat. II, 20. et Propheta Evangelicus: « Oblatus est, quia ipse voluit. » Isai. LIII, 7. Spiritus Sanctus suo quodam modo etiam tradidit Christum, juxta illud Sap. I, 6. « Benignus est Spiritus sapientiæ, et non liberabit maledictum a labiis suis (vulgata Sixtiana habent *maledictum*) Spiritus Sanctus per os Prophetarum loquitur, ex illo Propheta mortem Christi annuntiarunt, « Christus autem nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. » Galat. III, 13. Cum ergo Spiritus Sanctus semel prædixisset, Christum futurum esse pro hominibus maledictum, non liberavit maledictum, non liberavit eum a labiis suis, sed in mortem tradidit, ut fieret maledictum, sicut prænuñtiaverat. Ita fere exponit hæc, quem diximus, Sanctus Petrus Damianus. Jam et Judas tradidit Dominum, qui ob eam injuriam his tam suavibus verbis amatissime cum illo ex postulabat: « Juda, osculo hominis tradis! » Luc. XXII, 48. Ecce hic quatuor, clamat S. Petrus Damianus. Qui Christum tradiderunt in mortem, ii sunt Pater, Spiritus Sanctus, Filius ipse, et Judas. Quid est, quod ex communi opere tanta redundant in Sanctissimam Trinitatem elogia, et tanta congeruntur in Judam convitia, probra, maledicta? Si Pater tradidit Filium, et ipse se tradidit Filius, insuper et Spiritus Sanctus, Judas quid mali fecit? Facta est traditio a Patre, facta est a Filio, nec non a Spiritu Sancto facta est et a Juda, inquit beatissimus Cardinalis. Cur non in consortium laudis admittitur Judas, qui hominem partem executus est communis operis, hoc est, traditionis? Respondet insignis Cardinalis, opuse IV, c. XIII: Quia quod Deus omnipotens ex charitate, hoc Judas fecit ex pecunie acquirendæ cupidine; quod Deus fecit ad salutis nostræ remedium, hoc ille fecit ad explendum insatiabilis avaritiæ votum. Vides ergo, quia non, quid homo faciat, debemus attendere, sed quo animo, et voluntate faciat,

diligenter examinare. DICTVS NYSSENSUS, in Dom. 22 post Pent. § 3.

Salvator noster cum Samaritana muliere circa nova legis Evangelicæ dogmata prolixè discurret, inter alia vero hæc et utilissimam doctrinam proposuit: Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, et veritate; nam et Patres tales querit, qui adorent eum, in Spiritu et veritate oportet adorare. Ubi Cajetanus ait: Hinc habes, erudite Lector, quod exterior cultus non propter se ipsum gratus est Deo, sed pro quanto ordinatur ad interiora, qui sit in Spiritu et veritate, hoc est in corde interno. MANSI, tr. XXXVII, disc. I, n. 6.

NECESSITAS. — S. Thomas de Villanova rationem assignans, cur tanta inter fideles bonorum operum sit penuria, defectum talem sterilitatis hujus radice attribuit non dubitat, dicens: Unde, Fratres, putatis, tanta in nobis sterilitas, et ad omne opus bonum tanta et tam gravis difficultas, nisi ex siccatate radice. Ad quod et S. Paschasius alludere voluisse videtur, dum ait: Voluntas si bona fuerit, et recta intentio, fructus malos non facit, sicut nec mala bonos facere potest. Quia omnia opera, licet bona videantur, vel mala, radice sine succum ad seminum virorem trahunt. S. THOM. DE VILLANOVA, s. de S. Nicola.

Certum est, quod Deus omnia in sapientia fecerit, nihilque sine mysterio operatus fuerit; prima autem et præcipua creatura, quam brachium omnipotentis artificis formavit, lux fuit: Fiat lux! Hæc enim confusum mundi chaos distinguere debebat, omnibusque aliis operibus, complementum et perfectionem suam tribuere. Quæ enim utilitas et venustas eminisset in mundo absque luce? Solem et mundo si tollis, quantis mox obscuræ caliginis tenebris miseri infelices involveremur? Ita quoque, nisi opera nostra a recta intentione, et sine bono humen accipiant, tenebrosa, id est, infructifera, imo et sapientis tenebris infernalibus digna erunt; hinc nobis consulebat Apostolus dicens: « Abjiciamus opera tenebrarum, et induamus arma lucis. » MANSI, ib. disc. VII, n. 7.

UTILITAS. — Cum Julius Cæsar Sacrificiis dans operam moneretur quod interiora victimarum infausta ominarentur auspicia, respondit: Erunt bona cum volo. Idem quoque dicere potest, quisquis voluntate et intentione bene uti novit; ex qualibet enim

ærumna et adversitate magnum lucrum spirituale nobis comparare possumus, agnoscendo divinam super nos manum extensam, ferulamque osculando, qua percutimur; Unde Apostolus ait: « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. » Enimvero bonum illud, quod nos fecimus, quod terrenos fecisse vellemus, et propter quod non factum affligimur, veniamque a Deo postulamus, Deus nihilominus nobis adscribit ad meritum. Unde B. Mechtildis dixisse fertur: Aio igitur, et quidem constanter, quia per voluntatem possum omnia, omnium labores sustinere, omnium bona opera exequi, et quidquid omnium boni exogitari potest. Si enim hæc perfecte volo, et sola deficit exequendi facultas, omnia coram Deo fecisse arbitrabor; quando enim sic voluntas est affecta, ut, quidquid potest facere, velit id quoque non solum nunc, sed etiam si mille adhuc annis superviveret, tunc plane coram Deo totum hoc illi imputabitur, quod tanto interim annorum spatio perfici posset. MANSI, ib. disc. VII, n. 6.

S. Gertrudis divinitus edocta est, quod, quandoque aliquis scribit, vel alios docet ea intentione, ut laus Dei per hoc promoveatur, et profectus animarum, tunc omnis profectus, quem aliquis unquam ex illa scriptura, seu doctrina, etiam post mille annorum millia consequetur, totaliter edit in illius salutem, quia sua intentione hoc Domino primitus prælibavit. Hoc quoque Christus Dominus aperte confirmavit S. Brigittæ dicens: Etiam illud tempus, quod impenditur subveniendo corporis necessitati, si id rationabiliter fiat, inter spiritualia reputari. Lib. IV *Inimat.* c. XIII.

DIGNITAS. — Deus noster Sponsam suam quoad hanc rectitudinem variis in occasionibus laudibus extulit, specialiter vero, in c. IV Cant. ubi ait: « Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, in uno crine colli tui. » Enim vero si Sponsus hoc loco se a fulmine, vel a lapide, vel exploso scopeto vulneratum fuisse dixisset, facile intelligi mens ejus potuisset, at vero unicus dumtaxat capillus, quomodo cor ejus penetrare et vulnerare potuit? Respondetur per hunc capillum Sponsum exprimere voluisse intentionis unitatem; hæc enim est, que cor Dei sibi rapit. Unus crinis colli, inquit Ricardus de S. Victore, est unica cogitatio, et præcipua intentio, qua laboras. In textu hebraeo, loco, *vulnerasti*, legitur, *vapusti cor meum*. MANSI, tr. XLVII, disc. I, n. 6.



## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Christus docuit B. Mechthildem, ut, quoties arteria micaret, amorem offerret. Dicitur ergo :

O Jesu, quoties cordis mihi vena micabit,  
Tu toties posthac sis benedictus amor!

Vellem electis meis (dicebat Christus S. Gertrudi) persuasum esse, quod eorum bona exercitia et opera mihi omnino placeant, quando mihi serviunt expensis suis, Illi autem serviunt expensis suis, qui, licet saporem devotionis minime sentiant, fideliter tamen (ut possunt) orationes et alia pia exercitia sua peragunt, confidentes de pietate mea, quod ego illalibenter et gratesuscipiam. BLOSTUS, in *Monit. spir.* c. III.

Proponamus oportet finem summi boni ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respicit; velut navigantium ad aliquod sidus dirigendus cursus est Vita sine proposito, vaga est. SEN. ep. LXXV.

Non in facto laus est, sed in eo, quemadmodum fiat. Eadem res si gula datur, turpis est; si honori, reprehensionem effugit. Amico agro assidet quis? Probamus, ad hoc si hereditatis causa facit, vultur est, cadaver expectat. Ibidem.

Malus est vocandus, qui sua causa est bonus. PUBL. MIMUS, apud Drexel, in *Amussi*. l. I. c. II, §. 2.

Deus summum Sacerdotem tam splendide olim vestiri jussit, ut Siracides de eo vestita dicat: Si pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem. Gloria honoris et opus fortitudinis; desideria oculorum ornata; hinc etiam trecenta sexaginta sex aurea tintinnabula huic vesti appendebantur, ut omnium oculos in se converteret. Applicatio fieri potest ad Christum Summum Sacerdotem. DREX. ib. c. XIV.

Mulieres in Oriente olim prodibant facie aperta, oculo unico detecto; sic anima Deo fidelis, et casta. Ibid. c. III, §. 4.

Deus Abrahamo precipiens, ut aves et alios animantes offerret, has quidem divinas et concisas in frusta, illas autem indivisas offerri voluit, ut significaret, curas quidem alias dividi posse, non item intentionem, quam aves significabant. Ibidem.

Sponsa dixit Sponso: Omnia poma nova (id est, opera ex amore Dei facta) et vetera

(nempe naturæ opera) servavi tibi. CANT. VII, XIII.

Cum Palladius Macarium Alex. adiret, et quereretur, quid faciendum esset, dum cogitationes importune ipsum affligunt, et dicunt: Nihil facis, recede hinc, frustra sunt omnia. Respondit S. Macarius: Die tuis cogitationibus, propter Christum parietes custodio. PALLAD. c. XIII.

Nemo mihi videtur pluris aestimare virtutem, nemo illi magis esse devotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. SEN. ep. LXXXI.

Milites Gedeonis dum contra hostem moverunt, id unum assidue clamabant: *Domino ac Gedeoni!* Idem dicendum civis Christiano in omnibus actionibus. JERIC. VII, 20.

Deus de altari sibi faciendo loquens, dixit: Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Si enim laveris cultrum super eo, polluetur. Ratio videtur fuisse, quia cum lapides secerentur, ut vidantur, voluit indicare Deus magis sibi placere opera, quæ non videntur, quam quæ publico conspectui sunt exposita, cæteris paribus. EXOD. XX, 6.

Sponsa de Sponso dixit: Læva ejus sub capite meo, et dextra illius amplexabitur me; quia læva sub capite cerni non potest, amplexantem vero dextram cernitis, qui amplexu stringitur. In Sponsi læva divitiæ sunt et gloria, sed cum tempore peritura; in dextra vero longitudo dierum et beatissima æternitas, hæc proinde per intentionem videri et appeti debet, non illa. CANT. II, 6. DREX. in *Amussi*. l. II, ar. 9, §. 4.

Epictetus uni ex consortibus scribens dixit: Hæc ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Quanto potiori jure hoc quisvis homo Deo dicat? SEN. ep. I.

Narrant in urbe Colechin elephantem fuisse, qui operas diurnas præbere solitus erat ad portum et res marinas. Hunc cum laborem in navi ad mare deducenda constanter abnueret, Præfectus, ut saltem in gratiam Regis Lusitaniae id faceret, oravit. Quo audito statim elephas dixit: *Ho, ho,* quod Malabarum lingua idem significat, ac *volo, volo*, sique navem statim ad mare deduxit. An homo in gratiam Dei laborem detrectabit? DREX. in *Amussi*. l. II, c. VII, §. 7.

Egregie Theologus quidam dixit, Christianos cælum non per verba, sed per ad-

verbia adipisci; quia non tam quid faciant, sed quam bene, attendit Deus. Et, ut Salvianus ait, oblata Deo non pretio, sed affectu placeant. Ibid. c. VIII.

Dum Moyses virgam in terram projecit, in colubum vertitur, quæ tamen, dum iterum eam extendit et tenuit, in virgam reversa est, admiracula quæque patranda idoneam; sic intentio si terram attingit, veneno malitiæ opera inficit, si cælum versus porrigitur, ad optima quæque prodest. Ibid. l. I. c. I.

Non est ingrata Deo, quæ visa fuerit ab hominibus elemoysa, sed quæ ideo facta est, ut visa sit. S. CHRYS. hom. IX, in MATTH.

Si times spectatores, non habebis imitatores; videri debes, sed non ad hoc facere, ut videaris; opus publicum, intentio secreta.

NECESSITAS. — Non potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitatem suam convertit; alteri vivas, oportet, si vis tibi vivere. SEVECA, ep. XLVIII.

Julius Cæsar, teste Appiano, eo die quo in Curia occubuit, senatum ingressurus, de more fecit; aperta victima cor defuit. Extispicie nescio quid vaticinante de Imperatoris obitu, irrisit Julius, et aliam admoventi jussit, sed et hæc corde caruit. Perinde opus nostrum sine intentione, mortis est nuntius, aut mortuum, inutile, nullum. DREXEL. in *Amussi*. l. I, c. IV, §. 4.

S. Chrysostomus illum in seipsum crudelem tyrannum judicat, qui potest alio contentus esse præmio, quam Deo. S. CHRYS. hom. XXI, in MATTH.

UTILITAS. — Idem eodem dixit: Quod, quandoque aliquis scribit, vel alios docet ea intentione, ut laus Dei per hoc promoveatur et profectus animarum, tunc omnis profectus quem aliquis unquam ex illa scriptura, sive doctrina, etiam post mille annorum millia consequetur, cedit in illius salutem, quia sua intentione hoc Domino primitus prælibavit. Lib. IV *Instituat.* c. XIII.

DIGNITAS. — Querit Cyillus Alexandrinus, cur Deus victimam sanguinem veterit edi, illumque jusserit ad aram effundi? et respondet: Sanguis est sedes animi; qui sanguinem, is et animum admittit. Voluit ergo Deus in omni sacrificio voluntatem, cor, intentionem, velut sanguinem, coram se effundi, nec guttula in alios usus reservata. DREX. in *Amussi*. l. I, c. IV, §. 3.

Magnus ille est qui fetilibus sic utitur, quemadmodum argento; nec ille minor est,

qui sic argento utitur, quemadmodum fetilibus. SEN. ep. V.

Si quis propter Deum voluntati suæ etiam in minimis rebus reluctetur, rem ipsi Deo gratiorem præstat, quam si multos mortuos ad vitam reducat. LUD. BLES. in *Instit. Spirit.* c. I.

MALA INTENTIO. — Quia statua a Nabuchodonosore Rege visa, pedes tantum luteos habebat, unicus illam lapillus faelle deiecit omniaque sic contrivit, ut in favillam, quasi ætivæ aræ, quæ a vento rapturæ, sint redacta. Sic mala intentio quodcumque bonum operæ conterit, ut nihil penitus relinquat boni. DREX. in *Amussi*. l. I, c. VIII, §. 1.

Etsi idem fuerit osculum, quo B. Virgo, B. Maria Magdalena, et Judas fuerunt osculati, impar tamen longe singulorum fuit meritum; nam B. Virgo divini favoris et amoris ingens augmentum, Magdalena delictorum veniam, Judas gehennam illo mercatus est. Idem. l. I, c. VIII, §. 3.

Exploratores Terræ Sanctæ magna promissa fecerunt Rahab hospitiæ suæ, sed ea conditione adjecta, si non prodideris nos. Simili modo opera nostra bona ingentes nobis gratiarum et gaudiorum cumulos pollicentur; sed et ipsa addunt: Si non prodideris nos dolo, iniquitati, fraudi per malam intentionem. Idem. l. I, c. IX.

Equi cæci in fullonica licet currant toto die, vesperi tamen in eodem sunt loco, quia in orbem acti sunt. Sic qui carent vera intentione, cæci sunt, et in virtutibus progressum nullum faciunt, quia semper in eodem loco laborant, id est, sine intentione bona operantur. Idem. l. I, c. XII, §. 5.

Cum Diogenes media hyeme se frigidissima lavaret aqua, et ideo aliqui ejus miserti rogarent, ut parceret sibi, Plato inter spectatores exclamavit: Si misereri vultis, abite. Sciebat quippe eum talia ob vanam laudem captandum facere. Ibidem. l. I, c. IX, §. 4.

## AXIOMATA.

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes. S. BER. de *Domo intern.* c. XLV; Rom. IV.

Quod olim de pecunia, hoc rectius alii de intentione canunt:

Et genus, et formam Regina intentio donat. TERTULL. cap. VII, de *Præscript.*

Tale erit opus tuum, qualis fuerit intentio tua. S. BONAV. in cap. XXXIV Luc.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Nec bonitas sine ratione boni.

Intentio operi tuo nomen imponit.

Deus coronat voluntatem, si non invenit facultatem. S. CHRYS.

Si desiat vires tamen est laudanda voluntas. OVIDIUS.

## AUCTORES.

Jeremias Drexellius, in *Amussi*.

Theophilus Bernardus, de *Perseverantia prossidis*.

Eusebius Nierembergius, lib. IV, *doct. III Aretica*. Item I, II, de *Ador.* c. XXI.

*Praxis bonarum intentionum*, Gallice edita, et postea latinitati tradita et Coloniae exensa.

Philippus D'Outreman, in *Pædagogia Christiana*, p. II, cap. X.

Alphonsus Rodriguez, de *Perf. Christiana* p. I, tr. III.

## I N V I D I A .

## QUOD ESSENTIAM.

DEFINITUR. — Definitur sic Invidia a S. Augustino: « Invidia est odium felicitatis alienæ; » a Remigio sic: « Invidia est dolor de alieno bono; » a Damasceno: « Invidia est tristitia de alienis bonis; » a Philosopho: « Invidia est tristitia in apparenti felicitate alienæque inimicorum. » Item aliter: « Invidia est dissensio ab alieno bono existimato diminuire proprium. » S. BONAV. *Centilog.* p. I, sect. X. Doctor autem Angelicus definitionem S. Joannis Damasceni adducens, eam his fere explicat verbis: Dicendum, quod obiectum tristitiæ est malum proprium. Contingit autem id, quod est alienum bonum, apprehendi ut malum proprium, et secundum hoc de bono alieno potest esse tristitia; sed hoc contingit dupliciter. Uno modo, quando quis tristatur de bono alieno, in quantum imminet sibi ex hoc periculum aliquis nocenti, sicut cum homo tristatur de exaltatione inimici sui, timens, ne eum lædat; et talis tristitia non est invidia, sed magis timoris effectus, ut Philosophus dicit, 2. Rethor. Alio modo alterius

bonum aestimatur, ut malum proprium, in quantum est diminutivum propriæ gloriæ et excellentiæ, et hoc modo de bono alterius tristatur invidia. S. THOM. II, II, q. XXXVI, a. 1, c. 2. Dicitur autem, juxta S. Bernardinum, *invidia* a non videndo, quia non potest videre aliorum bona. Unde odium boni, quod latet in corde, etiam inadvertenter monstratur in facie. S. BERN. t. III, s. de *Exercit. malig.* Sp. a. 3, c. 2. Proinde Seneca ait: Quidquid mente fugimus, ingesta oculis vix videmus. Depingitur ut *Femina* (quia infirmi animi vitium est, et in feminis maxime reperitur) *annosa* (quia ab initio mundi ætas ejus *inperens carnes manducans*, quia non nisi alienis pascitur malis, et ut vîpera detrahere gaudet fama proximi) *macie et pallore confecta*, quia invidus perpetuis curis et tristitiis inlabescit *cor proprium edens* (quia suum proprium subjectum consumit) *oculos habens obscuros et lividos* (quia mentis oculum confundit, rectumque iudicium obnubilat.) Vide MARCHANT. tr. IV, *Tuba Socerd.* lect. I.

DIVISIO — Duplex est genus Invidiæ, unum laude, alterum vituperio dignum. Vitiosa et vituperabilis invidia est, quæ facit, ut de alieno vel bono doleas, vel malo gaudeas. At laudabilis invidia importat dolorem de defectu proprio, in comparatione ad aliquem habentem id, quo iste caret. Cum quis dolet de alieno bono, non ob id, quod eo alius gaudeat, sed quia ipse suo merito illo careat, ea commendabilis est invidia. Atque isto modo invidebat Rachel, quod infœcunda esset, sorori suæ, inquit Tostatus, eamque invidiam non condemnat, sed plurimum etiam prædicat Scriptura Sacra, dicit nempe in sequentibus: « Recordatus Dominus Rachelis, exaudivit eam, et aperuit vulvum ejus, sublataque sterilitate fructum ei benedictionis impertivit. » Ex quo intelligamus, ut quis sua apud Deum negotia feliciter tractet, et subita in ejus domo incrementa faciat, ei hanc tenendam ac terendam esse viam, ut non invideat gratiæ, aliene, nec de splendore aliorum doleat, quando ipse gaudeat inferiorum tenet, sed exigua sua merita deplorat, per que fit, ut loco angustiore et sublimiori sit indignus. Unde et S. Paulus cum ad profectus studium exstimulare Corinthios vellet, hæc ad eos scribit: « Emulamini charismata meliora. » 1. Cor. 12, v. 31. Verbum *emulamini*, videtur scrupulum

movere posse, quod servos Dei emulationes dedecent. Bene illud, si Apostolus, *invidete*, et non, *emulamini*, diceret; nam invidia ab emulatione in hoc distat, quod invidia, ut loquitur Aristoteles, lib. II Rhetoric. cap. 1, est improbum, et improborum æmulatio, probum quidem, et proborum, quam post hæc enucleatius se describit: « Emulatio est dolor quidam, quoniam bona et honorabilia, quæ quoque assequi posset, natura similibus adesse videntur, non quoniam aliis sunt, sed quoniam non ipsi quoque. » Hæc ille; ex cujus sententia ille proprie æmulatur, qui hoc nomine tantum alios felices dolet, quod non ipse eis æque felix est. Et hoc laudem meretur. Secundum hæc, cum jubemur æmulari Charismata meliora, id nobis dicitur, ut eadem a Deo obtineamus, id non alia ratione commodius, promptiusve fieri, quam si hæc penes alios doleamus, non quia his alii sunt ornatu, sed quoniam nos hæcenus non admodum laboravimus, neque modis omnibus conati sumus, ut eadem nobis obvenirent. Hæc est præstans ratio status, hic optimus modus tractandi sua apud Deum negotia, ut non invidemus fortunæ aliorum secunde, sed de nostra sinistra doleamus. ABULENSIS, apud Nyssen. § 4, ser. III, *post Dom. 1, Quadr.*

Ab aliis dividitur in eam, quæ tristatur de bono alieno, in quantum est *perniciosum* sibi vel alteri; et eam, quæ tristatur de bono alieno, *quatenus nobis deest*; et eam, quæ tristatur de bono alieno, *in quantum possessor ejus indignus est*; et eam denique, quæ tristatur de bono alieno, *in quantum aliquem excedit alter in illo*, et hæc species propriæ Invidiæ nomen meretur.

ACTUS. — *Tristari et indignari de bono alterius*; sicut Cain tristatur est, quod Deus sacrificium Abelis respexerit.

*Lætari de malis alterius*; uti S. Prosper his verbis expressit: De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, et inimicitias gratuitis ardent. S. PROSPER I, III, de *Vit. cont.* c. IX.

*Bona aliorum silentio tegere*; nam sicut vultures per amena et odorata prata volantes, ea despicunt, et prætereunt; ita Invidi non nisi illa, quæ alterius gloriam imminuere possunt, observant.

*Manifestam aliorum virtutum calumniari*; nam ut S. Basilus recte advertit, fortitudinem audaciam potius appellant; modestum, sine sensu hominem; justum, imitem et

nimum severum; prudentem, astutum; magnificentum, vastum; liberalem, ut prodigum taxant; domesticæ frugalem, avarum dicunt. Denique omnis virtutis species in vicina vitiorum nomina convertunt. S. BASIL. in *orat. de Invid.* Quæ omnia in Pharisæis Christi actiones observantibus et male interpretantibus videre est; hinc illæ voces: Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit. JOAN. IX, 46. Quare cum peccatoribus et Publicanis manducavit magister vester? MATTH. IX, 11. In Beelzebub principe Dæmoniorum eiecit Dæmonia. LUC. II, 43.

*Aliorum bona opera impedire*; idque vel detractionibus eorum famam obscurando; vel propriis laboribus occasione bene agendi illis præcipiendo. Hinc Apostolus dicebat: Quidam propter invidiam et contentionem; quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant. PHILIPP. I, 15.

Paulo aliter hos videtur assignasse S. Bernardus, dum dixit: Hic spiritus (invidiæ) cum exercitu suo exagitat, atque impellit animas ad quinque invidiæ filias, videlicet ad odium, ut inimicem homines velint sibi malum, et nolint bonum; ad exultationem in proximorum adversis; ad afflictionem in proximorum prosperis; ad surrurationem latentem; ad detractionem patentem; ad tantam enim contrarietatem hic spiritus nequam seducit suos sequaces, ut ita Deo adversarii sint; ut, sicut Deus tam bonus est, quod etiam de malis elicit bonum, sic e converso isti tam mali sunt, quod de bonis eiciunt malum. Et sicut bonis etiam mala cooperantur in bonum, ita invidi omnia bona cooperantur in malum. S. BERN. SEN. apud Mansi, tr. XXXVIII, dis. I, 5.

S. Albertus Magnus illum Amos textum: Mittam ignem in Theman, et devorabit aedes Bosræ, ita ad præsens pariter exponit propositum, dicens: Ista pars spiritualiter exponitur de invidis, quorum tria et quatuor scelera sunt. Primum quidem parvitas cordis, omnia enim parva reputat, quæ habet, quamdiu alium in prosperis videt. Job v. *Parvulum occidit invidia*. Unde, in libro Esther c. III, Aman, qui *iniquus* interpretatur, cum omnia haberet, nihil reputavit, quia vidit Mardocheum sedentem ante fores palatii. Secundum est tristitia de bona alterius; torquetur enim invidus in bonis proximi. Tertium est machinatio continua. Prov. VI. « Corde machinatur